

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4212

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Saint-Pierre-sur-Dives, Notre-Dame (abbaye, abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1276, mai

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, notifie l'accord conclu entre le bailli de Caen et l'abbé et les moines de Notre-Dame de Saint-Pierre-sur-Dives concernant la justice sur la terre de l'abbaye.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1230, p. 343-344.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod, cum inter baillivum nostrum Cadomensem pro nobis, ex una parte, et abbatem et conventum Beate Marie de Sancto Petro supra Dyvam, ex altera, contentio verteretur super hoc quod dicti abbas et conventus dicebant se habere omnimodam justiciam altam et bassam seu ad placitum spade pertinentem de universis casibus et querelis que accidere possunt in terra ipsorum, ex dono et concessione Henrici quondam regis Anglorum et ducis Normannorum, excepto placito de expeditione sua et duelli de moneta, si exinde duellum oriatur, dictique abbas et conventus dicerent se exercuisse et de exercendo tenuisse dictam justiciam a tempore donationis et concessionis predictarum, et ad docendum de jure suo parati erant cartam predicti regis Henrici, quam de facto ostenderunt, et ad docendum et declarandum usum et possessionem suam offerebant se probaturos usos fuisse dicta justicia in casibus seu articulis qui sequuntur : videlicet, de rebus gayvis, de dividendo cursus aquarum, vias et cheminos, de faciendo justiciam de falsis mensuris et ponderibus, de tenendo placitum de fraragio, de dote, de retractu per bursam, de maritagio incombrato, de recognitione per duodecim homines, de gagio, de plegio quod justicia facta est in loco ubi non potuit nec debuit, de dono indecenti, de sanguine et plaga cum clamore et haro, de mehanganio, de muldro, de raptu, de capiendis malefactoribus et de detinendo ipsos ultra diem et noctem et de faciendo justiciam de ipsis post octo dies et amplius ; baillivo nostro Cadomensi et gentibus nostris pro nobis e contrario dicentibus et se opponentibus, dicentibusque dictam videlicet justiciam altam seu placitum spade ad nos pertinere debere, et se nomine nostro usos fuisse dicta justicia in articulis supradictis, tandem, visis et diligenter inspectis litteris dicti regis Henrici et aliis juribus dictorum abbatis et conventus, omnia universa et singula supradicta, salutem anime nostre pre oculis habentes, sententialiter decernimus in hunc modum : videlicet quod nos in omnibus terris eorum de sanguine et plaga cum clamore de haro et de clamore de haro cum sanguine et plaga plenam cognitionem perpetuo habebimus, ita quod de omnibus et singulis obventionibus et proventionibus inde provenientibus dicti abbas et conventus per manus gentium nostrarum medietatem integre perpetuo percipient et habebunt, deputato ab ipsis serviente ipsorum

proprio cum gentibus nostris qui videbit predicta fieri in casu predicto. Ipsi vero abbas et conventus de sanguine et plaga sine clamore de haro et de clamore de haro sine sanguine et plaga cognitionem plenam perpetuo habebunt. Remanet autem ipsis abbati et conventui, in omnibus terris suis que sunt de antiqua fundatione ecclesie sue, de universis et singulis casibus aliis et articulis suprascriptis perpetuo omnimoda justitia, exceptis solummodo placito de expeditione nostra et duello de moneta, si exinde duellum oriatur, que nobis et nostris successoribus in perpetuum volumus remanere. Que ut perpetue stabilitatis robur obtineant, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum apud Rothomagum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, mense mayo.